

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-ſextâ Maii.

M. JOANNE POISSON, Doctore Medico, Præſide.

An Amor ingenium mutat?

I.



AMORIS & mundi idem initium, non finis, non ſors eadem; in dies marceſcit & ſeneſcit mundus, ſemper floreſcit & juveneſcit amor : mundus ſeneſcens rerum naturæ ſeries & ordo; ſenilis ſeu effœtus amor monſtrum & naturæ horror. Non paucorum ſed penè omnium hominum paſſio eſt, amor ἐν φιλότητι μιχθείς. Non in ſolo pulchritudinis amatæ aſpectu quieſcit, rapitur ulterius, incidat in centrum donec amoris, Amor. Quid enim eſt Amor, niſi vita quædam quâ copulatur quod amat, & quod amatur. Hinc rerum omnium ortus; Hinc commiſcendorum corporum miræ libidines; hinc innumeri conjuges, cælibes pauci : quis enim modus adſit amori. Dulce malum amor eſt, illud damnare facilius, quam vitare. Cave ne amens ſis, ſi non ames; Si quem amentem amor fecit, non amoris eſt culpa, ſed amantis, qui amare neſcivit : arte leves currus, arte & remo reguntur citæ rates, arte regendus amor.

II.

ANIMÆ perceptio cum ſanguinis & ſpirituum agitatione conjuncta, paſſio dicitur. Perceptio non à corpore, non in corpore, ſed in animâ. Quædam eſt cogitationis ſpecies, ideôque ſpiritalis animæ actio; non tamen ſine Corporis Commotione ſuſcitata, quamdiu anima corpore concluſa eſt. Commotio, perceptionis occaſio, non cauſa. Sanguinis & ſpirituum motus qui mentis cogitationem ſequitur, totus eſt in corpore, totus fit per corpus, non ſine mentis imperio, quod motûs occaſio non cauſa: ſola perceptionis animæ, & corporis motûs cauſa, eſt lex ab authore Naturæ tùm ſancita, cùm animum unâ cum corpore conjunxit, ut videlicet quaſdam animi cogitationes, certi corporis motus, & vice verſâ, quaſdam corporis motiones certæ mentis perceptiones excipiant.

III.

ANIMA unita corpori, ab ipſius, inter operandum, pendet organis. His benè aut malè diſpoſitis, benè aut male operatur anima; ita æterno fœdere ſancivit qui animam corpori immiſcuit. Quô mobiliores, puriores, & uberiores ſpiritus, eô vegetiores ſenſus, eô vividiores mentis perceptiones. Ad ſenſuum & ſpirituum exquiſitam perfectionem conferunt principiorum ſanguinis æquabilis, & proportionata ad ſe invicem mixtio; certus, conſtans, & vividus cordis motus; ἐυχύμων ciborum laudabilis concoctio; tempeſtiva impuritatum ſecretio, & evacuatio. Hæc bona, ſi quid maximè, trahit ſecum Amor, corporis & animæ motus verſus convenientia objecta. Huic σύμφυτος; Illi à ſpirituum & ſanguinis agitatione εισποιητός. Si quid jucundum & delectabile mentem feriat, hæc illicô amoris & voluptatis vim magnam ſentit, tunc undiquè ſelecti ſpiritus in certos nervorum tubulos impulſi ad cor rapi-

dius deferuntur, augetur pulſus, celerius venæ moventur, velociores fiunt ſanguinis acceſſus & receſſus, ipſiuſque principia liberius evoluuntur, & magis ac magis exaltantur. Protinus ubiquè torpidi excitantur ſpiritus, cerebri meatus expanduntur, effuſis hinc & hinc ſpiritibus, diſtinctæ & lucidæ rerum ſpecies menti occurſant, rubet, nitetque facies, micant oculi, blando calore corpus incaleſcit: Creſcit vigor in partibus illis quas pudor abſcondit.

I V.

QUÆRANT quod amare velint hebetes pulli orti ovis infelicibus; reperire laborent, quod ament ſtolidi, nati vervecum in patriâ, craſſoque ex ſanguine; ſi brevi tempore duraverit amor, mox ſentient vim Dei diffundi venis; noxia menti corporis vitia vincet amor, cujus ope, & molli igne, levata & quaſi animata quæ corpus regit natura concoquet, quod concoqui eſt habile, excernet quod debet excerni, exonerataque eo onere quo veluti ſarcinâ premitur, dabit ſanguini tenuitatem, & fluiditatem; ſpiritibus mobilitatem, & celeritatem; ſenſibus divitem & ingenioſam ſubtilitatem. Langueat ferè moritura virgo hyſterica, vivet illa, virides nec deſeret annos ſi vocet amorem, tanti maximum artificem morbi; Amori cedent oris pallor, virium & animi demiſſio, corporis & animi ſtupor, thoracis anguſtiæ, ſuffocatio, iracundia, Inquietudo, metus, & horror. O Medicina gravis! Amorem animi affectuum primarium, ſi tollas μισάνθρωπος, periere omnes vitæ illecebræ, extincti jacent noſtri & ſine luce dies. Amore quaſi connubio ſtabili, anima corpori conjuncta ipſius bonorum ut malorum conſors fidelis; afflicto Corpori compatitur, quidquid clament & obganniant οἱ ἐκ τῆς στοᾶς βάτραχοι, illo ſanato juvatur ſimul, & convaleſcit.

V.

AMOREM oderunt & damnant qui non amant. Animæ motiones ex ſe nec bonæ, nec malæ; ſi ratione reguntur, & intrà modum ſteterint, laudem merentur; ſi libidine, & modum exceſſerint vituperium. Eas rejicere, ignorare eſt earum uſum & finem; illas ne dixeris perturbationes animorum, ſed exercitationes, ſine quibus animi torpeſcerent & langueſcerent; ut labor firmat corpus ſic paſſiones animos, ut ignavia corpus hebetat, ſic ἀπαθεία animos. Amor Chao & terræ congenitus pulcherrimus inter Deos immortales λυσιμελὴς, Deorum & hominum domat pectora, & regit conſilia. Non morbus eſt ille; ſed amabilis medela vitiorum penè omnium, Nepenthes eſt illa Homerica, pacificum illud Pharmacum oblivionem malorum omnium inducens. Adeò homines in melius immutat Amor, ut non noſcas eundem hominem eſſe. Amore homines ex triſtibus fiunt lepidi, ex ferocibus mites, ex ſtupidis ingenioſi & πολύτροποι, ex indiſertis diſerti, ex ignavis fortes, ex ſordidis & avaris liberales. Amore ſenes Capulares adoleſcunt, & repueraſcunt; fel quod amarum eſt, Amore mel fiet. Hæc amoris præmia non novit, qui amorem non novit.

Ergo Amor ingenium mutat.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Philippus-Ignatius Save.
M. Petrus-Joannes Burette
M. Ludovicus de Vaux.
M. Petrus Marais, rei herbariæ Profeſſor.
M. Carolus Contugi.
M. Franciſcus Vernage.
M. Dionyſius Puylon.
M. Raphaël Maurin.
M. Petrus Creſſé.

Proponebat Pariſiis JOANNES GAILLARD, Caſtro-Cenſorius Nivernenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.